

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 68

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum cautela, qualiter nos interventu et petitione dilectae conctectalis nostrae Theophanu coimperatricis augustae pro remedio animae tam nostrae quam et eiusdem conctectalis nostrae prenuncupatae nec non et pro salvatione animae genitoris nostri equivoci videlicet et coimperatoris augusti nostrae proprietatis loca quedam et castella in partibus Sclavonie Olsnic, Domuki et Zuetie dicta in pago Scitici nuncupato in comitatu Geronis comitis iuxta occidentalem partem Alpium fluminis sita ad quendam locum Mimeleuo dictum in honore sancte dei genitricis semperque virginis Mariae cum monachis sub monastica institutione et regula degentibus a nobis nostraque conctectali Theophanu speciali devotione et sumptu inceptum et constructum, ubi idem prefatus genitor noster diem sortitus est ultimum, cum burgwardiis et omnibus utensibilibus illuc rite pertinentibus in proprium tradidimus, in mancipiis utriusque sexus aedificiis terris cultis et incultis areis vennis silvis venationibus aquis aquarumve decursibus molendinis piscationibus pratis pascuis campis viis et inviis exitibus et redivisibus quesitis et inquirendis et omnibus utilitatibus, que adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt, ea videlicet ratione, ut abbas cum monachis in predicto loco Mimeleuo deo famulantibus liberam inde teneat potestatem tenendi, commutandi seu ad eorum necessaria prout eis visum fuerit constituendi atque disponendi. Et ut haec traditionis nostrae donativa per tempora succedentia a nullo unquam divelli vel inquietari possint, hoc nostrae maiestatis preceptum inde conscribi manuque propria subtus notatum sigilli insuper nostri inpressione iussimus sigillari. Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. Hildiboldus episcopus et cancellarius advicem Willigisi archicapellani notavi. Data XII kal. augusti anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXI, indictione VIII, anno vero regni secundi Ottonis XXI, imperii autem XIII; actum Walahuson.